

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Britannia, Normannia, Belsia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Regio unde dicta

Britannia, vulgo *Bretaigne*, nomen, jura, leges, incolas a Britannis, quos nunc Anglos dicimus, sortita est, qui sedibus ab Saxonibus pulsi in ea confederunt, Vortigerno regnante, a quo evocati ad defensionem adversus Scotos fuerant. Fieri etiam potest ut ante id tempus in hac Gallie parte Britannorum fuerint coloniae, quae tunc auctae exulibus Britannis, quam vim domi passim fuerant, Aremoricis (nam hi quoniam infederunt haec loca) intulerunt. Scaliger in urbibus:

*Vicit Aremoricis animosa Britannia gentes,
Et dedit imposito nomina prisca iugo.*

Situs.

Vnde & olim *Armorica* fuit appellata: praecipue qua ad Mare vergit, ubi nunc inferior est Britannia. *Armorica* enim veteribus Britannis nihil aliud, quam ad *Mare* vel *supra Mare*, teste Camdeno. Ad Orientem Normannos habet, Cenomanos & Andegaveses confiniales: ad Meridiem Pictones: reliqua latera claudit Mare Britannicum. In altum ultra reliquas Provincias omnes procurrit, Peninsulae inftar, unde non inconcinne *Cornu Gallie* dicitur; solaeque ferreae speciem refert, cujus exterior pars subrotunda Mare: interior vero concava, respicit Mediterranea. Longitudo ejus sex dierum est itineris, trium autem latitudo. Regio est amoenissima & fertilissima. Pratis abundat & Erycetes, ex quibus gratum pecori pabulum. Venas habet Argenti, Ferri, Plumbi.

*Soli fertilitas.**Imperium majorem.*

Britanni autem in tantam repente potentiam excreverunt, ut Gothis, quo minus Galliam totam occuparent obstaculo fuerint. Certe Riothimus istorum Rex, XI I millia Britannorum contra Gothos in auxilium Romanorum eduxit, ut author est Jornandes. Praelio quoque adversus Attilam interfuisse testis est Callimachus. Est & illud grave argumentum Britannorum potentiae, quod Reges Galliae totam hanc oram de qua superanda desperabant, Normannis, utpote bello magis adfuetis, olim vincendam depopulandamque concesserint. Nec caruit consilium eventu: Notico enim ense Britannica contusa est ferocia. Paruit igitur Normannis quae antea Regi Galliae paruerat, Postea proprios habuit Duces. Ultimus eorum fuit Franciscus; qui anno M c c c c x c vita functus, unicam filiam Britanniae haeredem reliquit. Haec Maximiliano Archiduci Austriae Romanorum Regi desponsa, quum per Franciam deducenda esse, rapta est a Carolo octavo, qui eam sibi matrimonio conjunxit. Ex eo Britannia Francie adnexa fuit. Ea hodie duplex est: *Superior & Inferior*, illa Ligeri vicinior, haec Angliae, diciturque alio nomine *Ripieffis*. Superioris Metropolis est *Urbs Nannetica*, vulgo *Nantes*. Ptolemæo Κορυδαίων *Nannetum*, ut censet Iosephus Scaliger, Cognatus & alii. Sedes fuit olim Britanniae Ducum: Comitatus habens titulum, Ducisque Primogenito adscribi solita: ad Ligerim duosque alios fluviolos sita, loco peropportuno, haud procul mari, Episcopalis statio, ut & quatuor quae sequuntur. *Urbs Redonica*, vernacule *Remes*: *Condate Redonum* Ptolemæo, *Condate* Antonino. *Dolum*, opidum nunc, olim Arx: vulgo *Dol* vel *Doul*. *Fanum Bryocense*, vulgo *S. Brien*, opidum non ignobile. Rupes ibi excelsa tutam praebet navibus stationem in ea Arx urbi protegenda excitata. *Fanum Sancti*

Urbes.



NORMANNIA.

220

Sancti Machlovii, vernacule *S. Malo*. *Dinan* opidum pulchritudinis eximiae, in deliciis aliquando Britanniae Ducibus. Sunt & Britanniae Superioris alia Opida *Rieulx*, *Chasteau-briant*, *Lambellu*, *Uitray*, *Jugon*, *S. Aulbin du Cormier*, *Mont-contour*, *Plerel*, *Jocelin*, *Malestroit*, *Pontigni*, *S. Julian*, *Encenis*, denique, extremum versus Piciones, sub quo comprehendi solent ditiones, quae vulgo *Clissonis*, *Raiç* & aliae. In inferiore urbes & opida celebriora: *Vennetia* hodie *Vannes*; *S. Pauli Fanum*, *S. Paul de Leon*, *Tricoriense* Opidum, vulgo *Triguier*; *Blabia* nunc *Blavet*, *Morlaix*, *Quimpebray*, *Conquerneaux*, *Quimpercorentin*, *S. Regnant des bois* & alia. Dominia sunt *Montford* Comitatus, *Rohan* Vicecomitatus, *Grello* cujus principalis locus *Chasteau Andron*. *Le Pais de Gueel*: *Baignon*, *Montfort*, *Vannetais*. Flumina Britanniae sunt *Ligeris*, *Ransa*, *Ella* & alia Mare commercii aptissimum est: unde Sal extrahunt adcolae, quod ab Sole induratum Conregionalibus vendunt. Praeter autem superiores urbes & opida, commodissimos etiam Portus praestant *Brest*, *Ancreyum*, *Hanebontum*, *Pontsecrot*, ubi magna Ostrearum copia legitur. Archiepiscopus *Dolensis* in *Dol*, hos sub se habet Episcopos: *Nannetensem*, *Nantes*, *Venetensem*, *Vannes*: *Briocensem*, *S. Brien*, in his tribus Gallice & Britannice loquuntur. *Curisopitensem*, *Cornouaille*, *Leonensem*, *S. Paul de Leon*; *Tricoriensem*, *Triguier*. In quibus Britannica tantum lingua, quam vocant *Bruon*, *Britonant*, in usu est, quam veterum Trojanorum linguam esse putant. *Machloviensem*, *Sancti Malo*, *Redonensem*, *Renes*. Incole non omnes eadem animi alacritate, non omnes eadem comitate; plerique tamen cauti lucrique cupidi: gravissima negotia ad potula tractare soliti.

Flumina.
Mare.
Portus.
Mores.
Status Ecclesiasticus.

Normannia,
unde dicta.

Situs.

Solifertilitas.

Imperium majorem.

Normannia sic dicta a Populis Septentrionalibus: *Nort* enim, Idiomate Germanico, *Septentrionalis Orbis terrarum*, *plaga*: *Man*, *Viv*: *Normannia*, Terra Franciae viris eo ab Septentrionali ora vel Arctoo orbe ex *Dania* *Norwegia*que profectis ad habitandum data. Notae sunt *Normannorum* in Germaniam Galliamque excursiones. *Normannia* autem ad Occidentem *Crenone* fluvio a Britannia secernitur, a Septentrione Occano terminatur, a Meridie *Cenomannis*: ad Orientem vero habet Franciam proprie dictam, (in qua est *Lutetia*) a qua flumine *Epta* distinguitur. Itaque tota non pertinet ad Galliam *Lugdunensem*, sed aliqua ejus pars ad *Belgicam* spectat. Eam sexto vix die expeditus pertranseat. Regio fertilissima, Frumenti admodum lax, Pomis atque Piris adeo referta, ut hinc potum gens sibi affatim exprimat, & ad externos copiose Fructus exportet. Estque pecoris magna copia. *Rollo* *Normannus* atrocissima excursione in pleraque Galliarum littoralia & inde porro in loca mediterranea & penitissima, ad tantam tandem redegit necessitatem *Carolus* *Simplex* *Francorum* Regem, ut *Rolloni*, ad Christianam pietatem invitato, filiam *Gillam* dederit uxorem, totamque dotis nomine *West-richam*, & qui super *Ligerim* *Britannos*, primusque hic factus est Dux *Normanniae*, Vtbs primaria est *Rotomagum* vulgo *Rouen*. Fluvius adsidet, ad Meridiem quidem *Sequania*, maximarum navium (unde ingens *Mercaturae* commoditas) capaci; ad Orientem minoribus *Rubeco* & *Auberta*; ad Septentrionem

nem latissimos pratorum habet Campos, Montesque præcelsos. Sequana pontestratus est ingeniosi artificii structuræque, siquid in Gallis aliud, admirabilis; lapide quadrato, validis columnis, pulchris arcubus, qui tredecim numero: altitudinis latitudinisque insignis. Eitque urbs hæc Archiepiscopatu & Parlamento celebris: sunt præterea *Aurenses, Evreux, Bayeux, Sais, Constances, Lisieux, Alençon, Aumale, Longueville, Eu, Harcourt, Tancarville, Malevriar, Mortain, Mongommery, Thorigni, Gisors, Caux &c.* Normanni quibusdam statuitur duplex, Superior & Inferior. In Superiore Ducatus sunt tres *Alençon, Aumale, Longueville*. Comitatus *Eu, Harcourt, Evreux, Tancarville, Malevriar, Mortain, Mongommery*. Continet item hæc Normannia illam regionis portionem quæ vulgo *Vulx*, in qua est *Gisors* Metropolis Comit. & Ballivatus. Et Baroniam *l' Aigle*. Inferior in minores diltrahitur partes, quæ vernacule *Caulx, Bessin, Constantin, Hovivet, Royaume de Yvetot, Le Vaulx de Vire*. In Normannia Archiepiscopus *Rotomagensis Rouen*, cui subsunt Episcopi *Sacensis, Sais, Constantiensis, Constances; Lezovienfis, Lisieux; Abrucantensis, Aurenses; Baiocensis, Bæux; Ebroicensis, Evreux*. Gens omnis suapte natura calida, nullis exteris legibus obnoxia: Moribus suis & consuetudine, quam pertinacissime tuetur, vivit. Doli quidem & litis adprime gnara; alioqui doctrinæ & religioni dedita.

Belsia vulgo *La Beausse*, Regio siccitate aquarumque laborans penuria: fertilis nihil ominis, & Frumenti *Belsia*.
valde ferax. Ea triplex est, *Superior, Media, Inferior*. *Superior, La haulte Beausse*, initium capit ab *Vico*, qui vulgo *Soli fertilitas*.
Ablys indigetatur, petens porro *Carnutum* agos & ulteriora. Concesentur illi *Carnutum Regio, Ducatus Andeg.* *Superior Belsia*.
gavensis, Comitatus Perchensis, Carnutum Territorium vulgo *le Pais Chartrain*, adhæter hinc *Perchensi* Comitatu, *Situs*.
inde Ducatu *Aurelianensi*. *Carnutum* solum nulli reliquæ Galliæ parti fertilitate vel amenitate cedit: omni *Urbes*.
genere Frumenti, Fructuum, Pecoris abundans: Vino non destitutum. *Primum* Opidum *Carnutum* audit, *Primum* *Procl.* nunc *Chartres*, Opidum hodie non postremi loci. *Carnutum Territorio* solitus est adcerseri *Comitatus Druidensis & Montfortium*. *Ducatus Andegavensis, La Duché d'Anjou* peculiarem Tabulam habet. *Comitatus Perchensis* dividitur in duas partes, quarum una inferior dicitur, vulgo *le Perche Gouet*, cuius *Primum* Opidum *Nogent Rotrou*. Altera superior in qua *Mortaigne* Opidum. Sequitur *Media*, cui tribui solitum quicquid est, inde quidem ad utramque Ligeris ripam ab *Rosomago, Vendanium* usque: hinc autem in dextra ejusdem Ligeris ripa quicquid *Castelloduno* porrigitur *Belas* & ad *Turonenium* usque agros. Reliquas fertilitate sua *Belsias* superat. Comprehendit partim *Comitatus, Plesensem, Dunensem & Tomoriensem*; partim *Ducatus Undocensem & Turonensem*. Inferior *Belsia* restat. Ea *Campeltris* omnino & plana: Frumenti valde ferax, totius Galliæ horreum: porrecta inter *Episcopatus Aurelianensem & Carnutensem* ab Opido *Stampensi* procurrat, versus Orientem quidem ad *Senones* usque, versus Meridiem ad pontem *Aurelianensem*. In ea est *Aurelia* vulgo *Orleans* sita ad *Ligerim*. *Ducatus* titulo est nobilitata, atque ornatur *Academia*. Sunt & *Ditiones* vel *Territoria* *Lorriacens & Solonium*. *Archiepiscopus* hic *Turonensis, Tours*: habet sub se *Cenomanensem Le Mans, & Andegavensem Angiers*. *Episcopus Carnutensis, Chartres*, subest *Senonensi* in *Campania*, & item *Aurelianensis*. *Status Ecclesiasticus.*